

gentium, ut sedium occupatio, ædificia, munitio, usus pecuniæ : contractus etiam multi particulares possunt hoc modo dici de jure gentium, ut emptio et venditio, et similia, quibus nationes singulæ intra se utuntur, et ad eundem modum refero postliminia, si vera in illis est convenientia inter nationes : nam (ut dixi) proxime videntur spectare potius ad jus civile. Idemque majori ratione assero de prohibitione conjugiorum cum alienigenis in religione : nam re vera ubi est talis prohibitio, non respicit generalem communicationem, et societatem generis humani, sed propriam utilitatem illius communitatis in qua fit talis prohibitio : et si in hac prohibitione est magna similitudo inter nationes (quod mihi satis incertum est), ex ratione poterit illa referri ad jus gentium. Ex his ergo satis declarata et probata manet nostra sententia.

CAPUT XX.

COROLLARIA EX SUPERIORI DOCTRINA, ET QUOMODO JUS GENTIUM ET JUSTUM SIT, ET MUTABILE.

1. *Quomodo jus gentium sit omnibus commune, et tamen non sit naturale.* — Ex dictis facile est definire cætera quæ de jure gentium desiderari possunt. Et primo intelligitur facile quomodo possit jus hoc esse commune omnibus gentibus, licet naturale non sit, et solvitur difficultas quædam in superiori capite relicta. Nam si sermo sit de proprio jure gentium priori modo declaratum, facile constat potuisse ipso usu et traditione, in universo introduci paulatim, et per successionem, propagationem et imitationem mutuum populorum, sine speciali conventu vel consensu omnium populorum uno tempore facto : est enim hoc jus tam propinquum naturæ, et tam conveniens omnibus nationibus et societati earum, ut fere naturaliter propagatum fuerit cum humano genere, et ideo scriptum non est, quia a nullo legislatore est dictatum, sed usu convaluit. De alio vero modo juris gentium facile explicari potest, unde orta in illo sit magna similitudo inter gentes, licet alias per se civile sit : ratio enim est, tum quia hæc similitudo non semper est perfecta, sed tantum in aliqua ratione generali et communi, ut explicavi; tum etiam quia, licet hujusmodi ratio communis non sit simpliciter de jure naturæ, est tamen adeo propinqua et adeo consentanea, vel commoda naturæ, ut facile potuerit singulas nationes ad talia jura inclinare; tum denique quia potuit in hoc

etiam intervenire traditio, et mutua imitatio inchoata a principio generis humani, et cum illo aucta et dilatata.

2. *Quomodo explicandus D. Thomas dum asserit præcepta juris gentium esse conclusiones deductas ex principiis juris naturalis.* — Secundo, intelligitur quo sensu accipiendum sit quod D. Thomas, dicta q. 95, art. 4, dicit, præcepta juris gentium esse conclusiones deductas ex principiis juris naturalis, et differre a jure civili quia ejus leges non sunt conclusiones sed determinationes juris naturalis. Quæ doctrina præcipue traditur de proprio jure gentium communi et generali priori modo declarato; et licet a Conrado intelligatur esse data juxta modum loquendi juristarum, melius cum Soto et aliis intelligimus præcepta juris gentium vocari conclusiones juris naturalis, non absolute et per necessariam illationem, sed comparatione facta ad determinationem juris civilis et privati. Nam in jure civili seu privato fit determinatio vel mere arbitraria, de qua dictum est, *quod principi placuit, habet legis vigorem*, non quia sola voluntas pro ratione sufficiat, sed quia determinatio illa diversis modis facta esset rationabilis, et sæpe nulla est ratio ob quam potius hoc modo quam illo fiat, et ita dicitur fieri voluntate potius quam ratione : vel certe ubi aliqua specialis ratio intercedit, consideratur in ordine ad particulares et quasi materiales circumstantias, atque ita est determinatio magis in circumstantiis quam in substantia. At vero in jure gentium præcepta sunt magis generalia, quia in eis consideratur utilitas totius naturæ, et conformitas ad prima et universalia principia naturæ, ideoque vocantur conclusiones ex illis elicite, quia ex vi naturalis discursus statim apparet convenientia, et moralis utilitas talium præceptorum, quæ homines induxit ad tales mores introducendos, magis necessitate exigente, quam voluntate, ut Justinianus imperator dixit.

3. *Veram æquitatem et justitiam servandam esse in jure gentium.* — *Differentia inter jus gentium et naturale.* — Tertio, ex dictis infero in præceptis jure gentium servandam esse æquitatem et justitiam : hoc enim est de ratione omnis legis quæ sit vera lex, ut supra ostensum est; leges autem ad jus gentium pertinentes veræ leges sunt, ut explicatum manet, et propinquiores sunt legi naturali quam leges civiles, ideoque impossibile est esse contrarias æquitati naturali, ut bene notavit Covarr., lib. 2 Variar., c. 3, n. 2. Adde vero esse diffe-

rentiam inter jus gentium et naturale rigorosum, quod jus naturale non solum præcipit bona, sed etiam ita prohibet omnia mala ut nullum permittat. Jus autem gentium aliqua mala permittere potest, ut notavit Mattienz., lib. 5 Recopil., tit. 11, leg. 1, Gloss. 1, n. 3. Quod maxime videtur habere locum in illo jure gentium, quod re vera civile est, per similitudinem autem et convenientiam nationum vocatur gentium. Sic enim sicut in jure civili permittuntur aliqua mala, ita etiam possunt permitti jure gentium, quia ipsa permissio potest esse tam necessaria juxta fragilitatem et conditionem hominum vel negotiorum, ut in ea servanda omnes fere nationes concordent; talis esse videtur permissio meretricum, et permissio deceptionis in contractu quæ non sit enormis, et similia.

4. *Objectio.* — Objici vero potest 1. *In causa, § Idem Pomponius, ff. de Minor. adjuncta Glossa* : nam dicitur in textu *naturaliter licere contrahentibus se circumvenire in pretio emptionis et venditionis*. Ubi Glossa exponit *naturaliter*, id est, de jure gentium. Quod etiam habetur in lib. *Item si pretio, § Quemadmodum, ff. Locati*. Ad hoc respondet Mattienz. supra (sustinendo interpretationem Glossæ quoad adverbium *naturaliter*) verbum *licere* non debere intelligi cum proprietate, ut dicitur de re licita et honesta, sic enim repugnat esse licitum se circumvenire tam in pretio emptionis aut venditionis, quam in quolibet alio negotio : nam Paulus 2 Thessal. 4, inter præcepta a se tradita ponit, *ut nemo circumveniat fratrem suum*, et subdit : *Quoniam vindex est Deus de his omnibus*. Debet ergo verbum *licere* late sumi, et in ordine ad humanum judicium, prout *licere* dicitur quod impune fit, et quod usu toleratur, quod perinde est ac permitti. Vel dici etiam potest, et fere in idem redit, *naturaliter*, id est, *jure gentium id licere*, id est, *non prohiberi*, non quia jus naturale rigorosum id non prohibeat, sed quia jus gentium, prout humanum est, non addit specialem prohibitionem : imo statuit ut id non puniatur, neque tanquam delictum in humana republica seu foro habeatur. Et juxta hunc sensum illa jura confirmant potius doctrinam traditam.

5. At vero Covar. non probat illam Glossæ interpretationem in verbo *naturaliter*, neque illam improprietatem in verbo *licere*, præsertim cum lex *Item si pretio* dicat *naturaliter concessum est*, etc. Et ideo exponit verbum *circumvenire*, ut non sumatur rigorose, prout significat deceptionem per dolum et fraudem,

sed ut significat humanam solertiam et artem, quia emens procurat minuere rei æstimationem quantum potest, et vendens augere, non cum fraude et dolo, sed intra limites justii pretii et rectæ rationis. Quam circumventionem videtur descripsisse Sapiens Proverbior. 20, dicens : *Malum est, malum est, dicit omnis emptor, et cum recesserit, gloriatur*. Unde quod dicitur in dicto § *Quemadmodum, naturaliter concessum esse quod pluris est minoris emere, et quod minoris est pluris vendere*, intelligendum erit (juxta hanc sententiam) intra latitudinem justii pretii; quia emens procurat emere minimo pretio justo : vendens summo vendere. Et juxta hunc etiam sensum nihil obstant illa jura, licet ad rem præsentem non faciat, et ideo in illo examinando non immeror.

6. *Jus esse mutabile ex hominum consensu.* — Quarto, ex dictis colligitur jus gentium esse mutabile quatenus ex hominum consensu pendet, in quo etiam differt jus gentium a naturali, ut ex supra dictis constat. Imo dicunt aliqui posse mutari privata auctoritate, quatenus aliquis potest cedere juri suo, etiamsi a jure gentium manet : sic enim religiosus cedit dominio temporalium bonorum; imo et capacitati ejus. Sed hoc non est proprium juris gentium, neque in eo differt a naturali, si præcise quatenus concessivum est spectetur, quod alii negativum vocant. Sic enim etiam renunciat religiosus juri ducendi uxorem, quod a natura habet, et potest quis se tradere in servum se privando naturali libertate. Sicut etiam in privilegiis jure civili vel canonico privatim concessis potest quis renuntiare juri suo. Igitur corollarium intelligendum est de jure gentium ut prohibitionem seu præcepta continet. Nam hoc de se mutabilia sunt : ratio autem est, quia res prohibita jure gentium simpliciter non sunt malæ de se et intrinsece : tum quia illa præcepta non inferuntur per necessariam et evidentem illationem ex principiis naturalibus : tum quia obligatio juris gentium non oritur ex sola ratione sine aliquo modo obligationis humanæ, saltem per generalem consuetudinem introductæ : ergo ex parte materiæ talis juris non repugnat simpliciter mutationem in illo fieri, dummodo sufficienti auctoritate fiat.

7. *A quo, et quomodo cadere possit mutatio in jure gentium.* — In quo etiam adverto talem mutationem aliter posse contingere in jure gentium, quod solum est commune propter convenientiam plurium nationum in tali vel tali lege : aliter vero in illo quod est com-

munne ex usu et more gentium, quatenus inter se habent societatem aliquam seu communicationem. Nam prius jus potest immutari a particulari regno vel republica, quantum ad ipsam, quia ut est in illa, re vera est tantum civile intrinsece (ut sic dicam), solumque appellatur jus gentium, vel per relationem et concomitantiam aliorum, vel quia est tam propinquum juri naturali, ut inde oriatur illa universalitas talis juris in omnibus, vel fere in omnibus gentibus. Per se autem ut est in unaquaque republica pendet ex peculiari determinatione et potestate, vel consuetudine illius reipublicæ in seipsa, et sine respectu ad alias; ergo potest ab una in se mutari, licet aliæ non consentiant, quia non tenentur singulæ aliis conformari; ut, verbi gratia, posset aliqua respublica statuere ut intra illam non permittantur meretrices, vel ut rescindantur omnes venditiones injustæ in quocumque excessu, vel ut non utantur pecunia; sic de aliis generibus commutationum. Quamvis enim de facto hæc non fiant, quia non subest causa, nec omnino commoditas, tamen ex vi honestatis et potestatis id non repugnat.

8. In alio autem jure gentium longe difficilius est mutatio, quia respicit jus commune omnium nationum, et omnium auctoritate videtur introductum, et ideo non sine omnium consensione tolli potest. Nihilominus tamen non repugnat mutatio ex vi materiæ, si nationes omnes consentirent, vel si paulatim introduceretur consuetudo contraria et prævaleret; sed hoc licet cogitari possit ut non repugnans, moraliter non videtur possibile. Alio vero modo potest aliqua communitas præcipere ut inter partes et membra sua tale jus gentium non servetur, et hic modus est possibilis et moralis. Sic enim jus gentium de servitute captivorum in bello justo in Ecclesia mutatum est, et inter Christianos id non servatur, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, quæ est veluti speciale jus gentis fidelis, et omnino servandum, ut notavit Bartol. in l. *Hostis*, ff. de Captivis,

n. 16, et Covar. plures alios referens in regula *Peccatum*, 2 p., § 11, n. 6.

9. *Differentia inter jus gentium et civile.* — Atque hinc intelligitur alia differentia quæ in hoc constitui solet inter jus gentium et civile: nam civile dicitur esse mutabile in totum; jus autem gentium non in toto, sed in parte. Est enim intelligenda differentia non de absoluta potestate (ut sic dicam) seu mutabilitate ex parte istorum jurium: nam hoc modo utrumque de se mutabile est, ut probant rationes supra factæ. Sed intelligenda est secundum moralem potestatem et usum hominum. Item intelligenda est non de tota collectione præceptorum utriusque juris: sic enim neutrum est moraliter mutabile in totum, quia neutrum potest a toto humano genere absolute tolli, ut ex dictis satis per se est clarum. Igitur quoad singula præcepta dicuntur civilia jura facile in totum abrogari et mutari; ea vero quæ sunt juris gentium tantum in una vel altera parte diminui.

10. Denique satis ex dictis declaratum videtur quid et quale sit jus gentium in re ipsa et secundum propriam rationem spectatum, et solutæ sunt difficultates omnes factæ in superioribus capitibus, quæ maxime niti videbantur vel in modis loquendi jurium et gravium auctorum, vel in exemplis variis quæ adducunt. Sed in hoc non est facienda vis, tum quia potuerunt uti voce illa in diverso sensu; tum etiam quia jus gentium est veluti medium inter jus naturale et civile: nam cum primo convenit aliquo modo in communitate, et in universalitate, et facili illatione ex principiis naturalibus, licet non per absolutam necessitatem vel evidentiam, in quo convenit cum humano jure: et ideo interdum aliqua præcepta naturalia quæ per solum discursum habentur et illo indigent juris gentium appellata sunt; et similiter interdum ponuntur exempla juris gentium permixta cum naturalibus. Tamen in rigore loquendo, et proprie distinguendo rationes jurium, exempla etiam et præcepta distinguenda sunt.

FINIS LIBRI SECUNDI.

INDEX CAPITUM LIBRI TERTII

DE LEGE POSITIVA HUMANA SECUNDUM SE, ET PROUT IN PURA HOMINIS NATURA SPECTARI POTEST, QUÆ LEX ETIAM CIVILIS DICITUR.

- CAP. I. *Utrum sit in hominibus potestas ad leges ferendas.*
- CAP. II. *In quibus hominibus immediate existat ex natura rei potestas hæc condendi leges humanas.*
- CAP. III. *An potestas ferendi leges humanas sit data hominibus immediate a Deo, ut auctore naturæ.*
- CAP. IV. *Corollaria ex superiori doctrina.*
- CAP. V. *An potestas ferendi leges civiles in Christi Ecclesia perseveret, et per eas obligare possit Christianos.*
- CAP. VI. *An potestas ad ferendas leges civiles obligantes universam Ecclesiam sit in summo Pontifice.*
- CAP. VII. *Utrum potestas universalis ferendi leges civiles obligantes totam Ecclesiam sit in imperatore.*
- CAP. VIII. *Corollaria ex præcedenti doctrina, quibus potestas imperatoris, et legum civilium juris communis magis explicatur.*
- CAP. IX. *Apud quos sit potestas condendi leges civiles inter fideles.*
- CAP. X. *Utrum potestas ferendi leges civiles pendeat ex fide, vel moribus principis.*
- CAP. XI. *Utrum finis potestatis et legis civilis, prout nunc est in Ecclesia, sit alius a fine ejusdem potestatis et legis, ut in pura natura vel gentibus spectari potest.*
- CAP. XII. *Utrum leges civiles in sola materia honesta versentur virtutum omnium actus præcipiendo, vel vitia contraria prohibendo.*
- CAP. XIII. *An lex civilis tantum possit externos actus præcipere aut prohibere.*
- CAP. XIV. *Utrum actus præteritus possit esse ex materia legis humanæ.*
- CAP. XV. *Quæ forma externa seu sensibilis servanda sit in ferenda lege humana.*
- CAP. XVI. *Quæ promulgatio necessaria sit ad perfectam constitutionem legis civilis.*
- CAP. XVII. *Quando et quomodo incipiat obligare lex civilis ex natura sua postquam est sufficienter promulgata.*
- CAP. XVIII. *De tempore in quo lex incipit obligare secundum jus civile.*
- CAP. XIX. *Utrum acceptatio populi sit necessaria in lege civili ut perfecte constituatur, et vim habeat obligandi.*
- CAP. XX. *Utrum intentio legislatoris, seu ratio legis sit intrinseca forma ejus.*
- CAP. XXI. *Utrum lex civilis possit subditos obligare in conscientia.*
- CAP. XXII. *Utrum omnis lex humana seu civilis obliget in conscientia.*
- CAP. XXIII. *Utrum lex civilis in præsumptione fundata obliget in conscientia.*